UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Theokritu eidyllia, tutesti mikra poēmata hex-kai-triakonta

Theocritus

Francofurti, 1553

XX: Evropa

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-724

Visual Library

Mouerunt cantu? quis tam ferus ille? quis autem
Tam crudelis erat, qui uel tibi miscuit? aut qui
Mista dari iussit tibi pharmaca, nec sit captus
Carminibus, miraq; tui dulcedine cantus?
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
Iusticiam sed nemo potest euadere quisquam.
Verùm ego nunc luctu afficior te propter acerbo,
Et lachrymas fundo: quòd si descendere possem
Viuus ad inferni Phlegetontia tartara ditis,
Sicut & Ismarius cithara uenerabilis Orpheus,
Et Laërtiades Troiæ populator Vlysses:
Sicut & Alcides quondam descendit, & ipse
Fortè domum peterem Plutonis & alta silentum
Limina, ut inspicerem nũquid pallentibus umbris,
Et magno caneres & qualia carmina Diti
Audirem. sed tu dominæ noua carmina Ditis
Bucolicum Siculumq; melos cane, quod iuuet illã.
Illa quidem Siculis etiam consueuerat olim
Ludere littoribus, patriaq; in uallibus Aetnæ
Dorica uirginea modulari carmina lingua.
Non sine honore canes, nõ præmia nulla dabũtur.
Vt blandis citharæ modulanti cantibus Orphei
Reddidit Eurydicen, sic te quoq; fortè remittet
Montibus his diuine Bion quòd si mihi Musæ
Sint faciles, nihil addubitem quin protinus ipsam
Accedam, & blando Plutonem carmine tentem.

THEOCRITI EVROPA.

Eidyllion XX.

Europæ

EVropæ placidũ quondam per mẽbra ſoporẽ
Immiſit Venus, & nocturno dulcia uiſu
Somnia non uanis dedit apparere figuris.
Tempus erat, iam ſydereæ pars tertia noctis
Tranſierat, propè erat roſeis aurora quadrigis.
Tempore quo mollis gratiſſima munera ſomni
Irrepunt uinculiſq; ligant prædulcibus artus,
Veraq; per cunctas paſcuntur ſomnia terras.
Excelſa placidam carpebat in arce quietem
Virginitatis adhuc uernans in flore pudicæ
Filia Phœnicis formoſa Europa ſuperbi,
Talia quum tacita ſub nocte inſomnia uidit.
Forte duas terras, Aſiam, quæq; obtinet oram
Littoris oppoſiti, pro ſe certare putabat.
Vtraq; fœminei præſtabat imagine cultus.
Ex his plus Aſie contendere uiſa, puellam
Eſſe ſuam, ſe uitales ædiſſe ſub auras,
Se genitam ſibi præſentes aluiſſe ſub annos.
Altera prævalidis manibus tractabat, & ipſam
Non tamen inuitam rapiens, fatalia dixit
Iſta dari Iouis arbitrio ſibi præmia magni
Europen. placida quum nox excuſſa quiete eſt,
Deſiluit thalamis, ut erat conterrita, pulchris,
Et ſtupefacta nouis animum per talia monſtris
Viſa, diu tacitè ſedit, manibuſq; quietis
Sicut adhuc oculis geminas adſiſtere coram
Matronas cupido contendere cerneret auſu,

Tãdem hæc attonita, sibi reddita, uoce loquuta est:
Quis superum noua mõstra? quis hæc mihi somn
Corpora quæ grata requie defessa foueti (nia misit?
Mollibus in lectis, thalamiq; cubilibus alti,
Tam certis uacuum uenere per aëra pennis,
Quænam uisa mihi dulcis sub imagine somni
Hospes erat mulier? quàm me succendit amore
Illa sui? quàm me uultu susceptit amico,
Agnouitq; suam ceu quæ peperisset & ipsam?
Sed tamen ista bono faciles mihi somnia diuos
Testor ut eueniant. hæc illa loquuta, requirit
Protinus æquales genere atq; ætate puellas,
Dilectasq; sibi socias, quibus ipsa solebat
Collusisse choros si quando, aut festa parabat
Gaudia, siue undis liquidi lauaretur Anauri.
Aut uarios legeret per prata nitentia flores.
Atq; illi sociæ mox apparere puellæ
Incipiunt, calathos implendos floribus omnes
Gestantes manibus niueis, & prata petentes
Proxima littoribus, quò sæpe uenire suetæ
Quærebant roseis grata oblectamina campis,
Curuaq; spectabant ferientes littora fluctus,
Quas inter calathum de uimine textilis auri
Ipsa tulit pulchrum Vulcania dona laborem,
Quem Libyæ dedit ignipotens, quo tẽpore primũ
Neptuni intrauit thalamos, hæc Telephaëssæ
Sanguine coniunctæ sibi, Telephaëssa pudicæ

Mater

Mater Agenoridi tantum dedit inclyta donum,
Munera dædaliam multùm spectanda per artem.
Illic artifici desculpta erat inachis auro,
Ipsa bouem referens & adhuc mugitibus ìò
Apta, sed ingenium retinens animumq; puellæ,
Triste uidebatur rapido pede nare per æquor.
Cœruleum nanq; ignipotens desculpserat æquor:
E regione uiri stabant duo littore in alto,
Mirantes liquida arua bouem transire natantem.
Verùm illic erat quoq; Iuppiter, ille tuuencam
Leniter attrectans manib© cœlestibus, illi
Blandus erat, tandemq; exutam cornibus ìò
Ad uaga delatam septemplicis ostia Nili
Pristina restituit formosæ in membra puellæ.
Stabat enim referens argentea cornua Nilus,
Aerea uacca fuit, cælatum Iuppiter aurum
Extrema circum calathi rutilantis in ora
Sculpserat, idē opifex Ioue natū et Pleiade Maia,
Quem prope sicut erat uirga confectus & Harpe,
Lumina perpetuo, quondam intentissima, somno
Fractus in æquorea iacuit uigil Argus arena,
Cuius ab effuso quæ sanguine prodijt ales
Florigeris uarios pennis imitata colores
Stabat, & amplexu caudæ ceu naue tegebat
Extremas calathi pennis umbrantibus oras.
Talem tum calathum specioſa Europa ferebat.
Vt simul in campum uarijs uenere uirentem

Floribus, hîc alias aliæ cepere parato
Vere uoluptates: hyacinthum hæc legit odorum,
Ista uerecundo narcissum flore comantem:
Hæc breuibus sõlijs serpilla uirentia carpsit,
Multaq; decliui nascentia proxima terræ
Germina, molle crocum carpentes floris odori,
Gramina contundunt, quas inter regia uirgo
It media incedens, & lilia summa rosarum
Demetit. ignito ueluti fulgore micantum
Qualis cincta choro Charitũ Venus, omnibus una
Plus decet, illa quidem nec uirginitatis honorem
Seruatura diu, nec lilia pulchra legendo
Indultura animo. nam uisa Iuppiter illa
Vulnera Cypriaca noua fixus arundine sensit,
Sola quidem Cytherea Iouem domat ipsa superbũ,
Qui nunc zelotypæ metuens Iunonis ab ira,
Et teneram captare uolens in uirgine mentem,
Esse deum cælat, solitaq; insignia formæ
Ponit, & induitur specioso corpore tauri.
Non tamen aut qualis stabulis nutritur in altis,
Aut qualis domito trahit esseda grandia collo.
Huncformæ melioris honor commẽdat: in omni est
Parte color flauus formosi corporis: albam
Aequali spacio distantia cornua frontem
Ornabant: non magna quidem, sed qualia lunæ
Dixeris, in medium quum se uaga contrahit orbẽ.
Talis ubi in prati uiridantia pascua uenit,

Non

Non torua timidas terrebat fronte puellas,
Sed magis allectos uultus probitate trahebat,
Nullaq; non fieri propior cupiebat, & ipsum
Contrectare manu, cuius de corpore spirans
Immortalis odor, fragrantia lilia prati
Vincebat: stetit ante pedes ab Agenore natæ,
Lambebatq; manus & eburnea colla puellæ,
Decepitq; animum non duræ uirginis: ipsum
Illa tenens manibus sensim contrectat, & albam
Abstergens labris spumam, simul oscula iungit.
Ille sonans blanda summugit uoce, putaris
Mygdonis audiri quos reddit tibia cantus.
Iam uerò ante pedes sese inclinatus amator
Proijcit Europæ, simul hanc ceruice reflexa
Aspicit, ostentans lati mollissima dorsi
Tergora, longicomas quum sic affata puellas
Dicitur ipsa: agite ô sociæ, considere mecum
Quid prohibet tergo bouis huius amabilis? et iam
Non secus ac nauem placidissima terga reclinans
Omnes accipiet uultu mansuetus, & ipso
Blandus ab aspectu, non iam simulantia tauris
Ora gerens alijs, & certè uiuus in ipso
Est animus, tantumq; humanæ uocis egebat.
Hæc effata bouem ridens conscendit, & alto
Insilijt tergo, reliquas cunctatio præsens
Detinuit. prædam raptor mox taurus amatam
Constringebat agens, & proxima littora saltu

Contingens, rapido cursu peruenit in æquor:
At conuersa retro socias uocat ipsa puellas
Europe, tenditq; manus, timor impedit illas,
Nec potuere sequi, iam marmora salsa tenentem,
Atq; altos fluctus delphini more secantem.
Tum uerò ex ima Nereïdes æquoris unda
Grandia progressæ cetëia terga tenebant
Innantes mare Neptunus tranquillat, ab undis
Grandisonum caput attollens, fratricq; marinum
Sternit iter. circum hunc madidi Tritones euntes,
Cœrulei maris indigenæ, conchisq; sonantes
Oblongis, Pæana Hymenæaq; sacra canebant.
Ipsa sedens Iouis in tergo bouis, hac tenet uncum
Cornu, læua manus uestis legit, uda plicatas
Ne riget unda maris. nam quæ per longa pependit
Ex humeris tremulo sinuata est flamine uestis.
Non secus ac leuibus uolitantia uela carinis,
Sic ut & Europen quadam tenus ipsa leuaret.
Quæ postquam patriæ de littore longius oræ
Abfuit, & neq; iam littus montesue uidentur,
Iamq; nihil uacuum nisi desuper aëra cernit,
Præter aquas infrà uastæ feritate patentes,
Circum prospiciens timido sic ore loquuta est:
Quò me taure rapis? quis eras? qbus artib. usus
Has potes ire uias, nullis hominúmue ferarúmue
Emensas pedibus? neq; te mare terret euntem,
Quum tantum rapidæ superẽt uada cœrula naues,

Et

Et tauros sit fama uias metuisse marinas?
Vnde tibi dulcem potu mare proferet undam?
Vnde cibum dabit? an ne aliquis tu taure deorũ?
Quòd si es, cur indigna deis facis? at neq; sicci
Per terram delphines eunt, neq; per mare tauri.
Tu uerò & terra uadis, neq; mergeris unda
Aequoris, officium remorum sustinet anceps
Vngula, quàm uereor ne mox & in aëra summum
Sublatus uolites, auiumq; similimus alas
Aërias moueas. miseram me scilicet, ecquid
Ipsa domum linquens patriam taurumq; sequuta
Naue peregrinas tauro feror exul in oras?
At tu magne uagæ Neptune tridentifer undæ
Sis placidus, quem luminibus tam cernere ueris
Ipsa mihi uideor, sternentem passibus undas
Lenibus æquoreas, cursumq; tridente regentem,
Non hæc absq; deo peragro freta cærula ponti,
Humentesq; uias pelagi. sic illa loquuta
Conticuit, quam sic affatus corniger est bos.
Fide animo, ne uirgo time quas aspicis undas
Aequoreas, ego sum magni moderator olympi,
Quem nunc adsimilem tauro sub imagine falsa
Ire uides: quoniam possum apparere figura
Qua uolui, quandoq; libet. tuus ardor amantem
Me trahit, & taurum tanti maris æquora iussit
Metiri: iam te Crete, quæ me quoq; paruum
Nutriet, excipiet sponsam Iouis: ipsa iugales

Creta tibi thalamos, & sacra Hymenæa parabit.
Ipsa ex me paries clarissima pignora, natos
Sceptrigeros reges in maxima regna futuros.
Dixit, & euenit quod dixerat: inclyta nanq;
Iam Creta apparet, quem postquam Iuppiter orbẽ
Attigit, hîc falsi deponit cornua tauri,
Fitq; quod esse decet, soluentem uirginis oram,
Atq; pudicitiæ primum libantis honorem.
Huic lectum celeres sternebant pluribus Horæ
Floribus, ipsa prius uirgo, Ioue sponsa marito
Prodijt, & facta est non uno pignore mater.

MOSCHI AMOR FVGITIVVS.

Eidyllion XXI.

QVærebat profugũ quondã per deuia natũ
Cypris, et ĩclamãs clara sic uoce locuta est.
Nonne qs in triuijs errantẽ uidit Amorẽ?
Ille meus puer est, qui nunc fugitiuus aberrat.
Mercedem tali feret index munere dignam,
Suauiolum Veneris: si uerò adduxeris illum,
Non iam suauiolum tantum, plus hospes habebis.
Plurima signa insunt puero, si uideris inter
Fortè quater quinos alios, cognoscere prõptum est.
Non est alba cutis, color inficit igneus, acres
Flammantesq; oculi, mens improba, mellea linguæ
Gratia, quod loquitur non sentit. atrocibus iræ
Si quando stimulis agitur mens aspera sæuit,
Fraude dolisq; puer fallax, mendacia miscens,

Crudelcs